



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et  
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

**Haunold, Christoph**

**Ingolstadii, 1678**

Contr. III. Vtrum Angeli potuissent in primo Instanti peccare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

## CONTROVERSIA III.

*Virum Angeli potuissent in primo instanti peccare.*

953. **P**ROcedit quæstio in sententia communi, quòd Gratia sanctificans fuerit illis collata dependenter à propria dispositione: nam in sententia contraria, clarum est, non habuisse Angelos potentiam peccandi, quia non habuerunt potentiam conjungendi peccatum cum gratia: habuissent autem hanc potentiam, si peccare potuissent, quia potentia peccandi, est potentia conjungendi peccatum cum omni eo, quòd quis in illo instanti inimpedibiliter accipit, quo modo, in sententia contraria, Angeli Gratiam accepissent.

954. Prima sententia, negat Angelos habuisse potentiam, etiam physicam, peccandi. Ita Thomista communiter, quos sequitur Granadus. Secunda Sententia absolute & sine distinctione affirmat. Ita Scotus, Valentia, Molina, Vasquez, Atriaga. Tertia distinguit, cum qua

955. **DICO 1.** Angelis non repugnat physicè peccatum pro primo instanti creationis, loquendo de potentia antecedente: & defacto habuerunt actum primum physicum, ad peccandum mortaliter. Primum membrum probatur. Quidquid enim Angeli habuerunt in posteriore tempore, quo peccarunt, habere potuissent, si Deus voluisset, in primo instanti. Ergo potuissent habere actum primum proximum ad peccandum: atqui cum hoc debet esse physicè conjungibile peccatum. Ergo &c. antecedens firmabitur objectionum solutione.

956. Secundum membrum probat Lugo, supponendo, quòd Angeli habuerint præceptum diligendi Deum, de quo non potest rationabiliter dubitari, quia eorum Via erat brevissima, nec vlla causa erat hoc præceptum differendi: ergo poterant hoc præceptum violare: nam omne præceptum Theologicum, hoc est, in conscientia obligans, sub interminatione incurrendæ ini-

micitiæ, debere esse violabile ab omni supposito, cui tale præceptum imponitur, suppono autem ex dicendis de Incarnatione, ubi ex hoc fundamento negabo Christum habuisse Theologicum præceptum moriendi.

957. Probatur secundò. Quia in primo instanti elicerunt Angeli actus meritorios, dependenter à fide: ergo habuerunt obligationem credendi: ergo poterant hanc obligationem violare; vel negandum erit, Angelorum fides fuisse liberam, quod tamen non rectè negatur.

958. Objicitur ex S. Thoma. Primæ operationes cujusque agentis, tribuuntur causæ producenti illud agens: sed Deus est causæ producens Angelos: ergo primæ eorundem operationes tribuuntur Deo: sed Deo non potest tribui peccatum: ergo prima operatio Angelorum non poterat esse peccatum: omnis autem operatio suppositi, quæ fit in primo instanti, dicitur esse prima illius operatio, non enim hic attenditur prioritas Naturæ, sed temporis. Distinguido majorem. Omnis operatio prima effectus ad quam Causa determinat effectum, tribuitur causæ, concedo: operatio ad quam ipse effectus se determinat, nego. hujusmodi esset peccatum, cujus causa determinans est principium respectu cujus est formaliter liberum, & vitaliter afficiens.

959. **DICO 2.** Probabile est, Angelos in primo creationis instanti, habuisse cognitionem moraliter necessitantem ad non peccandum. Probatur. Defacto nullus Angelus peccavit in primo instanti: quod autem in maxima multitudine fit uniformiter à libero arbitrio, fit vel ex speciali providentia Dei, vel ex morali necessitate: atqui specialis providentia non est afferenda, si potest effectus in aliam causam referri, prout hic potest: Ergo quòd nullus peccaverit in primo instanti, convenientius reducitur in moralem impotentiam antecedentem, quam in impotentiam physicam consequentem.

